

## VERSION LATINE

### Est-il raisonnable pour l'homme d'envier l'animal ?

Vide : quam iniqui sunt diuinorum munerum aestimatores et quidem professi sapientiam ! Queruntur, quod non magnitudine corporum aequemus elephontos, uelocitate ceruos, leuitate aues, inpetu tauros, quod solida sit cutis beluis, decentior dammis, densior ursis, mollior fibris, quod sagacitatem nos narium canes uincant, quod acie luminum aquilae, spatio aetatis corui, multa animalia nandi facilitate. Et cum quaedam ne coire quidem in idem natura patiatur, ut uelocitatem corporum et uires, ex diuersis ac dissidentibus bonis hominem non esse conpositum iniuriam uocant et neglegentes nostri deos, quod non bona ualetudo etiam uitiis inexpugnabilis data sit, quod non futuri scientia. Vix sibi temperant, quin eo usque inpudentiae prouehantur, ut naturam oderint, quod infra deos sumus, quod non in aequo illis stetimus. Quanto satius est ad contemplationem tot tantorumque beneficiorum reuerti et agere gratias, quod nos in hoc pulcherrimo domicilio uoluerunt secundas sortiri, quod terrenis praefecerunt ! Aliquis ea animalia comparat nobis, quorum potestas penes nos est ? Quidquid nobis negatum est, dari non potuit. Proinde, quisquis es inicus aestimator sortis humanae, cogita, quanta nobis tribuerit parens noster<sup>1</sup>, quanto ualentiora animalia sub iugum miserimus, quanto uelociora consequamur, quam nihil sit mortale non sub ictu nostro positum.

Sénèque, *De beneficiis*

---

<sup>1</sup> *Parens noster* : désigne la divinité créatrice.